

Hunc librum Musis
suis inservientem
iure possidet
Theodor Mahlmann

Comparati mihi
Witzeb.
p. mat. 12. q.
p. hinc. 4. q.
Al. Joh. Reibel.
1624.

CHRISTOLOGIAS SACRÆ

Disputatio Nona

De

VERA UNIONIS
PERSONALIS
RATIONE.

Quam

Anniente Θεανθρωπια

SUB PRÆSIDIO

BALTHASARIS MEISNERI

S. S. Theol. D. & P. P.

In privato Collegio disputandum

proponit

JOHANN NICOLAUS SCHÜLIN

Gnodtstadiensis Francus,

*Habebitur ad diem 10. Januarij horis pome-
ridianis, in minori auditorio.*

⚔:⚔

WITTEBERGÆ

Ex Officina Johannis Gormanni,

ANNO MDCCXXII.

Handwritten text on aged, yellowed paper, likely a manuscript page. The text is faint and mostly illegible due to fading and bleed-through from the reverse side. Some words are partially visible, including "DALTHEAS" and "PERSONA".





CONTINUATIO.

DE Unione Personali generatim considerata supra disput. 6. actum fuit: cum verò cognitio rei distincta longè sit nobilior confusâ: requirit hujus mysterij summa utilitas, & maxima necessitas, ut de vera ejusdem ἐνώσεως ratione paucis dicamus. Quod ut eò rectius intelligatur. 1. Modos falsos unionis recensebimus. 2. ipsum unionis formale indicabimus. 3. definitionem addemus, cui. 4. πορίσματα. 5. Attributa. 6. Similitudines, & 7. deniq; hujus unionis meditationes practicas subjungemus.

THESIS I.

Hic ergò exesse jubemus. 1. Omnem substantialem & scholasticorum accidentalem unionem, putantium λόγον & carnem conjungi per aliquod accidens ab utroq; realiter distinctum. Quæ monstruosa opinio ab ipso Gregor. de Valen. refutatur. Tom. 4. disp. 1. quæ 2. pu. 5. col. 169.

II. 2. Nestorianam ἁπόκρισιν de quâ disput. 7. & 3. Eutychianam σύγχυσιν, quâ de disput. 8. Illam castigat Damas. l. 3. de ortho. fid. c. 7. Rung. dis. 3. pub. c. 2. th. 60. Hanc verò Rung. loco de Bellarm. l. 3. de Christo. c. 3. Greg. de Valen. d. 1. q. 2. pun. 1. tom. 4. Zanth. l. 2. de in carn. verb. c. 3. Polan. l. 6. syntag. c. 16. col. 2435.

A 2

III. 4.

III. 4. Monotheleticam κερᾶσιν, cujus refutationem vide in Damas. l. 3. c. 13. Chemn. de duabus naturis c. 18. Zanch. loco d.

IV. 5. Vorstianum in fluxum vel illapsum, qui est apertus Nestorianismus, adeoq; iisdem rationibus retundi potest fortissimè.

V. 6. Calvinisticam & Iesuiticam sustentationem, dum pleriq; statuunt, unionem personalem nihil esse aliud, quam singularem humanæ naturæ in λόγῳ sustentationem.

VI. Verum nimis lata & frigida est hæc ἐνώσεως ὑποστατικῆς descriptio. 1. Omnes Creature sustentantur à λόγῳ, neq; tamen omnes sunt cum λόγῳ personaliter unitæ. 2. sustentare est actus secundus, non igitur plenè exprimit actum personalem. 3. Conservatio, quia est opus ad extra, omnibus personis divinitatis est communis, neq; tamen ob hanc sustentationem Pater dici potest personaliter carni unitus.

Act. 17.
28.

Hab. 1,3.

VII. Proinde sic argumentamur: Si singularis sustentatio humanæ naturæ est forma unionis personalis, tum erit vel quâ sustentatio, vel qua singularis. Si illud, omnes creature τῷ λόγῳ (quippe ab illo & in illo sustentantur) erunt personaliter unitæ: sin hoc, cur istam singularitatem non exprimunt, & solo communi sustentationis vocabulo, quod tamen hoc mysterium nec declarat rectè, nec distinguit plene, utuntur?

IIX. Tan-

II X. Tandem 7. expresse fatemur, quod unio personalis proprie non consistat in communicatione Idiomatum, cum hoc potius consequens sit, quam unionis forma. Ideoq; calumniantur Papicola & alij, qui nobis affingunt, quod in ipsa Idiomatum κοινωσις omnem & totam unionis hypostaticae essentiam consistere statuamus.

Bellar. l. 3. de Christo. c. 8. Valentinian. Tom. 4. colu. 128. Vol. 16. synt. Theolog. c. 16. Col. 2427.

IX. Hoc quidem a nobis traditur, quod mysterium illud, quia difficulter cognoscitur a priori, per communicationem donorum veluti per effectum commode describatur, siquidem effectus nos evehunt in notitiam causarum. Quod autem ipsa quidditas & forma unionis in se, non quo ad nos considerata, solum & unice in ista κοινωσις sita sit, hoc nunquam nobis in mentem venit. Quando igitur illa per hanc declaratur, tunc non est acurata definitio a priori, sed tantum aliqua descriptio a posteriore.

Form. Concord. art. 8.

X. Atq; ita haectenus removimus omnes peregrinos unionis modos, qui vel fingi possunt, vel jam conficti sunt, vel nobis affingi solent.

XI. Priusquam autem ad ipsam unionem veniamus, duo a nobis probe observari debent. 1. Materiale, vel quænam sint unita. Habemus autem duo, quæ constituunt materiale, 1. est plenitudo divinitatis, vel verissima τῆς λόγῃ divinitas. 2. Caro assumpta.

XII. 3. τὸ ἐνωπιόν vel terminus in quo utraque uatura concurrat, qui est una eademq; ὑπόστα-

ois vel substantia τῆ λογῆ infinita. Ubi notan-
dum, quod non alia res sit natura λογῆ unienda, &
alia ὑποστάσις λογῆ, quæ vocatur vinculum & ter-
minus unionis; sed hæc duo sunt re unum: differunt
tamen ratione, & modo concipiendi; unde & distin-
guuntur modo loquendi.

Memb. 2. XIII. His ita prælibatis ad ipsam formam Unio-
nis nos conferimus; cuius licet unica sit; uno tamen
vocabulo exprimi commode vix potest.

Pezel. par. 1. Obj. Zauch. 1, 2. de natur. Dei q. 6. c. 4. Col. 2. 9. Ioh. 14. 23. 1. Cor. 6. 19. Apoc. 3. 20. XIV. Hinc in tribus potissimum eam consistere do-
cemus 1. In archissima naturarum præsentia. Ut
enim omnis unio; ita vel maxime personalis, mutu-
am utriusq; uniti præsentiam importat. Patet hinc,
impiam esse hæc Calvinianorum, quæ λογῆν ita to-
tum in carne esse pronunciant, ut simul totus sit ex-
tra carnem. Misero hoc argumento permoti: Fini-
tum non est capax infiniti.

XV. Nam 1. rationis speculatio opponitur fidei ar-
ticulo. 2. si finitum non est capax infiniti, cur in Chri-
sto dicitur habitare tota plenitudo Deitatis? & quo-
modo caro facta est particeps infinitæ ὑποστάσεως
τῆ λογῆ? Annon infinitus Deus à finitis sanctis ca-
pitur, in quibus ipse habitare dicitur? Quare 3. expli-
canda est æquivocatio, quæ latet in vocabulo capien-
di. Aut enim sumitur pro locali inclusione. Et sic fi-
nitum non erit capax infiniti; aut pro solâ ὑπόκειν
vel possessione; & sic finitum est capax infiniti.

B. Hunn. contra Pe- zel. p. 153. Clarifs. Dominus XVI. 2. In profundissima naturarum ὑπερβα-
νῆς vel immanentiâ. Nec enim dicitur illæ Christi
nature

natura sibi invicem presentes tantum sunt, sed λογος etiam instar εντελεχειας permeat, pervadit, penetratq3 carnem, quae se habet instar δυωαμεθ, ut tota fiat λογωθεισα verbificata vel θεωθεισα deificata, non secus atq3 ignis ferrum & anima corpus penetrat, ut illud ignitum, hoc animatum fiat undiq3.

praeses in Schol. Aca- dem. the. 114. & seq. d. I. Men- tzer. in An- ti Mart. pag. 48. & seqq.

XVII. Est enim ενχωρησις nihil aliud, quam totius in totu plenissima & impermixta unio, in qua singula sunt in singulis & omnia in singulis, & singula in omnibus & omnia in omnibus, & unu omnia.

August. 1. 6. de Trinit. cap. ult.

XVIII. Quae sane non est unius modi, sed varian- tibus unitis illam quoq3 variare necesse est. Duplex ergo oritur ενχωρησις: 1. est vel Naturalis, quae rursus tum in Essentialem, ut in materiam & for- mam, corpus & animam; tum in accidentalem, ut inter ferrum & ignem dispefcitur. Vel 2. supernatu- ralis, quae similiter duplex est 1. Essentialis qualem es- se dicimus inter divinam essentiam & tres personas Deitatis. 2. Hypostatica vel Personalis, quae est in divi- nam & humanam naturas, ad unum ηφισταμδρου θεου θεωπον concurrentes.

XIX. Cujus permeationis ea est ratio, quod λο- γος tanquam purissimus actus totam carnem assum- tam veluti δυωαμεθ penetrat, adeo ut nihil in carne illa sit, quod λογω non sit repletum. Unde contrectato homine verissime Deus contrectatur, & cruci- fixo homine ipse dominus gloria crucifixus & dux vitae interfectus recte dicitur.

1. Joh. 1, 1. Act. 3. 75 1. Cor. 2. 8.

A 7

XX. 3.



XX. 3. In unius ὁφισαμένῃ constitutione
mutua. Non enim nature Christi tantum presentes
sibi sunt invicem, neq; solum una immigravit in
alteram, sed simul utraq; concurrunt ad unum ὁφισα-
μένον constituendum, quia caro in se ἀνυπόστα-
τος in unitatem τῆς λόγῃ, recipitur: quæ ipsa
subsistentiæ unitas facit, ut duæ nature personaliter
uniantur, & unum ὁφισαμένον σῶμαστος consti-
tuant.

Membr. 3. XXI. Atq; ex hæcenus dictis talem hujus unionis
colligimus definitionem: Unio personalis est dua-
rum naturarum, veræ humanitatis in Mariæ utero
formate, & vere divinitatis λόγῃ arctissima, &
cum intima ὁχωρήσει ac unius ὁποσίσεως
communione conjuncta, sine omni tamen confusio-
ne, ad unum ὁφισαμένον Θεάνθρωπον consti-
tuendum copulatio.

XXII. Personalis vocatur, non quia sit persona-
rum, sed 1. ob terminum in quo, quia duæ natu-
ræ in una ὁποσίσει, quâ participant, coalescunt.
2. ob terminum ad quem, quia illæ ipsæ ad unum
compositum ὁφισαμένον concurrunt. 3. ob mo-
dum singularem, quia nec essentialiter, nec acci-
dentaliter, sed modo plane peculiari uniuntur, ita
nempe ut ex ijs una fiat persona, unus Christus & re-
demtor generis humani.

Membr. 4. XXIII. Unde duplicia suâ quasi sponte proma-
nant consequentia: 1. Affirmativa. qualia sunt. 1.
Receptio

Receptio in collegium Trinitatis. Hinc August. tract. 90. In Iohan. Forma servi, inquit, filio in Trinitate ad unitatem personæ coaptata est, ne quaternitas, sed Trinitas prædicetur.

XXIV. Carnem autem ad Trinitatem pertinere, probatur. 1. quia non solus λόγος sed etiam caro assumpta constituit ἰσοπέδιον secundæ Trinitatis personæ; Est enim secundæ personæ Trinitatis ille ipse θεῖος ἄνθρωπος. 2. quia non in solius λόγος sed etiam carnis assumptæ nomine baptizamus.

XXV. 2. Personæ Christi compositio. Ubi non intelligimus compositionem Physicam, quæ emergit totum quid ex conflatione, multarum partium: sicut ex conjunctione corporis & animæ tertia quædam oritur natura, quæ homo dicitur.

XXVI. Nam Christi persona non est totum quid à Damas. l. 2. naturis distinctum, sed nihil aliud, quam duæ naturæ. c. 7. & personaliter unitæ.

XXVII. Modus tamen loquendi sic obtinuit, ut Christi personam compositam & naturas dicamus partes illius personæ, quæ omnia καὶ ἀναλογίαν quandam & lato sensu sunt intelligenda. Persona enim nominatur σὺνθετός tantum, quia duabus constat naturis, & hæ dicuntur partes, quoniam unum ἰσοπέδιον constituunt.

XXVIII. Compositio E. hic sumitur, sub notione communissimâ, ad quam sufficit, si plura in uno

ponantur. Quae observatio utilis est ad diluendas Calvinianorum exceptiones, quando personae non naturis factam esse communicationem, & personae datam esse omnem potestatem clamitant.

XXIX. Cum enim persona non sit quiddam tertium à naturis distinctum; ultro sequitur, omne quod de persona dicitur, vel de utraq; vel de alterutra natura dicitur. Iam cum personae in tempore data legatur omnis majestas & potestas; hic non subsistendum est, sed ulterius pergendum, an data sit personae secundum utramq;, an secundum alterutram naturam. Et quia secundum utramq; naturam dari non potuit (Divinitas enim altissima exaltari nequit) secundum humanam naturam id omne datum esse firmissime concludimus.

XXX. 3. Mutua praesentia, ut ο λόγος non sit extra carnem. Ubi videre est, quid de illo Calvinianorum effatu sentiendum sit; carnem quidem non extra λόγον esse concedentium, sed λόγον non esse extra carnem strenue negantium: distinguendo inter personam & naturam λόγος: Illam non esse extra carnem concedunt; propter hujus verò infinitatem λόγον esse alicubi ajunt, ubi non sit natura assumpta.

XXXI. Verum 1. Persona & natura divina τὸ λόγος non differunt realiter, neq; enim λόγος ex duobus realiter distinctis est compositus. 2. Si persona λόγος non esset aequè infinita ac natura λόγος; utique

que

que tale inter illas intercederet discrimen, quale est inter finitum & infinitum, hoc est, reale. 3. Nulla erit differentia inter inhabitationem τῷ λόγῳ in sanctis gratiosam, & inter ἐνοίκησιν in carne personalem, si λόγος totus ita in carne esset; ut tamen propter infinitatem extra carnem totus esset, fingeretur: 4. Arctissima naturarum in Christo ὁμοιωγενεὶς tollitur.

XXXII. 2. Negativa, ut sunt 1. Unio non Tom. 2. 0-
est duplex: Mediata & Immediata, ut Sohnius so- per. art. 3.
mmiat. Illam vocans unionem personæ, hanc naturæ pag. 204.
λόγῳ cum humana natura. Ita enim propter neces-
sitatem multiplicantur unita, & simul confunditur
assumptio unioꝝ, quæ licet non realiter; differunt ta-
men formaliter.

XXXIII. Unde quam ille unionem immediatam vocat, unio proprie loquendo, non est, quia unio personalis non est inter personam & naturam, sed inter duas naturas vertitur: Quæ de causa passim à Theologis appellatur unio duarum naturarum in una persona, non autem unio personæ & naturæ.

XXXIV. 2. Nec unitæ sunt duæ naturæ tantum uno in loco. 1. Quia subsistentiæ hominis Christi basis non est locus, sed infinita τῷ λόγῳ ὑπόστασις. 2. Sicut subsistentia τῷ λόγῳ est illocalis: ita & subsistentia ejus, quod in λόγῳ ὑπόστασιν assumptum, erit illocalis. Est enim subsistentia hæc ipsa τῷ λόγῳ ὑπόστασις, in quâ caro ἀνυπέσται & subsistit perso-

personaliter. 3. Quia localitas ad unionis neq₃ efficiens, neq₃ materiam, neq₃ formam, neq₃ finem, nec deniq₃ propriam affectionem pertinet.

4. λόγος ἔστω ἄσαρκος καὶ ἑνωτικὸς, ἀτοπον.

XXXV. Unde patet 3. Personam τῷ λόγῳ non posse dici simul creatam & increatam, Nam caro humana ἀνυπόστατος ὑπόστασις (scholastici reddunt, personata) dicitur ἕκαστη ἑαυτὴν, sed ipsius λόγῳ ὑποστάσει.

Membr. 5. XXXVI. Ex quibus προτάσεσιν sequuntur haec duo attributa. 1. Unionem hanc (si ab illa, quae est inter tres personas Trinitatis, essentiali discesserimus esse omnium maximam. Nihil enim dici cogitarive potest in tota rerum natura, quod sit τῷ λόγῳ suā carne proximius. Quare nullibi quacumq₃ ratione, ulla creatura vicinior esse potest τῷ λόγῳ sua personaliter sibi unitā humanitate.

XXXVII. 2. Illam ipsam esse homini Christo naturalem & gratuitam. Observetur autem hic: τὸ naturale non sumi, ut est quiddam naturam rei constituens, vel constitutam consequens, sed quatenus idem est, ac illud quod à nativitate & primordio rei alicui inest. Sic unio fuit homini Christo naturalis, quia ante unionem Christus non fuit Christus unquam.

XXXVIII. Gratuitam autem fuisse probatur ex eo,

eo, quia nullius hominis merito, sive ex condigno sive ex congruo, sed liberrima & gratuita Dei voluntate, caro in unitatem personæ, τὸ λόγος assumpta est.

Unde eleganter Augustinus: In rebus, inquit, per tem- 1.13. de Tri-
pus ortis illa summa gratia est, quod homo in unitate ni.c.19.
personæ conjunctus est cum Deo.

XXXIX. Cum verò hoc mysterium, teste Paulo, sit 1.Tim.3.16.
ὁμολογούμενον & magnum, ideò pia antiquitas me- Memb.6.
lioris declarationis ergò aliquod similitudinibus usa
est, quod exemplum & nos imitaturi, istas eo sine
proponemus, ut ex ijs tanquam nobis notioribus, re-
ctius, facilius, planius percipiamus ea, quæ in Scri-
pturis de hoc mysterio tradita leguntur.

XL. Primum igitur simile est à sole & luce pri-
mogena. 2. à corpore & anima. 3. à ferro & igne
desumptum. Ubi tamen cogitandum; ἀρμόδιον
ᾧ ὁμοίωμα ἔστι κατὰ πάντα, κατὰ τὴν γῆν: Et
non necesse est paradigmata omni modo & absq̄ de- Damas. 1.3.
fectu similia esse rebus ipsis, sed aliquid habere simile, c.26.
aliquid verò dissimile.

XLI. Istæ ergò similitudines aliquo modo conve-
niunt & differunt; Conveniunt. 1. respectu unio-
nis. Ut enim in sole φῶς ἀρχέγονον & corpus sola-
re: ut in ferro ignis & ferrum: ut in homine anima
& corpus: Sic in Christo natura divina τὸ λόγος &
humana verè uniuntur,

XLII. 2. Respectu unius ὑποστάσεως. Ut
in sole, ferro ignito, & homine due nature qui-
dem sive essentiae sunt; lux nimirum & corpus so-
lare,

lare; ignis & ferrum, anima & corpus; nihilominus tamen unus est Sol, unum ferrum ignitum, unus homo: Ita in Christo duæ sunt naturæ essentialiter distinctæ; sed tamen unum est ὁ Θεὸς ἑνὸς, unus Christus una persona.

XLIII. 3. Respectu inconfusionis. Ut in uno sole lux cum solari corpore: In ferro ignito ignis cum ferro: in homine anima cum corpore, eorumque naturales & essentialis actiones non confunduntur, sed verè distinguuntur: Sic in una persona Christi naturæ earumque proprietates naturales non confunduntur, sed verè sunt & manent in ipsa etiam unione distinctæ.

XLIV. 4. Respectu naturarum Communicationis. In sole lux primigenia ἀσώματῳ existens prius, quam corpori solari unitur, fit ἐνσώματῳ: Ferrum per intimam ignis pervasionem ignitur & candescit: In homine quando anima rationalis ἐνσώματῶσται & corpus ψυχῶσται, homo dicitur homo: Sic quando divina τῆς λόγῳ natura incarnatur, & humana natura in personam τῆς λόγῳ assumitur, tunc dicitur Christus, quia tunc λόγῳ æternus, quod non erat, assumpsit.

XLV. Differunt 1. Anima & corpus sunt naturæ imperfectæ. 2. Faciunt tertiam subsistentiam. 3. Neutra alteri suam subsistentiam communicat sed utraq; pendet à tertia, quæ est totius compositi. 4. Separatio. II. In ferro & sole sustentatur calor à ferro, lux primigenia à corpore solari. 2. sunt separabilia.

XLVI.

XLVI. Verum ut ad ultimum tandem membrum
 accessum faciamus: mystica illa duarum naturarum
 in Christo unio est Memoriale peccati, signum amo-
 ris divini, Clavis veri solatij & incendium debite
 gratitudinis.

XLVII. 1. Memoriale peccati est, quia hoc i-
 ipsum caelo detraxit λόγος, ut cum carne nostra uni-
 retur, quò in illa pati & sic patiendo genus humanum
 redimere posset. Abominanda res peccatum est, nec
 pro unico, quantumvis omnium minimo, satisfacere
 potuisset Christi humanitas, nisi copulata fuisset cum
 deitate filij, quæ vires addidit ad superandam iram
 DEI, eamq; perferendam. Videamus ergò ut sarta
 conservetur natura spiritalis cum Deo unio: fugi-
 atur malum, ne denuò separemur, & eligatur bo-
 num, ut cum Deo magis magisq; jungamur, donec
 occurramus omnes in unitatē fidei agnitionis filij Dei.

XLVIII. 2. Signum amoris divini est, quia
 licet post Adami lapsum facti essemus flagitiosissimi,
 turpissimi, miserrimi: Deus tamen nos, nos, inquam
 peccatores adeò dilexit, ut filium mitteret, illumq;
 cum carne humanâ desponsaret. O infinitum amo-
 rem! ô calidissima misericordiae viscera, quibus nos
 visitavit oriens ex alto! Verè Deus bonus est, imò ipsa
 bonitas & caritas est, quia intime suam nobiscum
 communicavit & gratiam & naturam.

XLIX. 3. Clavis veri solatij est. Vis enim fu-
 gere cum Adamo ob sensum peccati? Ecce Christus
 te revocat, & propter conjunctionem nostrâ cum
 carne

Membr. 7.
 Meditatio-
 nes practi-
 cæ.

2. i. m. 2.
 - m. 1. 1. 1.
 1. 1. 1.

Eph. 4. 13.

Luc. 1. 28.

Matt. 19. 17


1. Joh. 4. 16.


Serm. I. in
Vigil. na-
tiv.

1. Joh. 3,
24.

carne hypostaticum spondet conjunctionem cum DEO
gratiosam. Vos igitur qui in pulvere estis, expergisci-
mini & laudate: Ecce! Dominus cum salute, cum
unguentis, cum gloria. Neq₃ enim sine salute, Iesus,
neq₃ sine unctione Christus, neq₃ sine gloria venit
DEI filius: siquidem ipse salus, ipse unctio, ipse gloria
scribit Bernhardus.

L. 4. Incendium debitæ gratitudinis est.
Omne enim beneficium requirit officium & pro gra-
tia grates persolvendæ sunt. Descendit ipse de cælis
in terram, ubi jacebamus miseri? ascendamus nos
ad ipsum in cælos, ubi regnat gloriosus. Ut ille uni-
tus est nature nostræ personaliter: ita nos uniamur
ipsi spiritualiter. Unio personalis facta est ἀσυχύ-
τως: ita non misceamus terrena & cælestia, mun-
dum & Christum, sed huic soli adhareamus. O fe-
lix jucunditas & jucunda felicitas esse Christi, esse
cum Christo, esse in Christo! Qui autem servat man-
data ejus, hic manet in Christo & Christus in illo. Ser-
vemus ergo pro viribus credendo & diligendo: Sic i-
pse servabit promissum, & reddet æternæ vitæ præ-
mium, ubi novâ cum Christo uniemur ratione, ubi
semper ipsi manebimus conjuncti, ubi à facie ad faci-
em videbimus, amabimus, laudabimus, dicentes cum
Ecclesia ex Cant. 2, 4. Nunc introduxit me rex me-
us in cellam vinariam, & vexillum ejus super me
est claritas: Ipsi sit gloria & gratiarum
actio in æternum,
Amen.





Farbkarte #13

B.I.G.

TOLOGIAS SACRÆ
Disputatio Nona

De

A UNIONIS
PERSONALIS
RATIONE.

Quam

annuente Θεανθρωπῶ

SUB PRÆSIDIO

ASARIS MEISNERI

Theol. D. & P. P.

to Collegio disputandum

proponit

NICOLAUS SCHÜLIN
odtstadiensis Francus,

ad diem 10. Januarij horis pome-
dianis, in minori auditorio.

SS):(SE

WITTEBERGÆ

ina Johannis Gormanni,

NO CIO IOC XXII.

